

05

A

641



DISPUTATIONE THEOLOGICA, X

sub
PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
VIRI

*Summè Reverendi, Amplissimi, atq;
Excellentissimi*

DN. JOHANNIS *Deutschmann*

S. S. Theol. Doctoris, Profess. Publ. longè celeberr.

Alumnorum Elector, Ephori gravissimi, &c.

DN. Patroni, Hospitis, Studiorumq; meorum

Promotoris de venerandi

PURGATORIUM
EXTINCTUM

exhibebo

IN AUDITORIO THEOLOGORUM

AD DIEM XXIII. JAN. M DC LXXVII.

M. JOHANNES DAVID THOENNIKER,

Jessensis Saxo.

AUTOR.

WITTEBERGÆ,
TYPIS JOH: BORCKART Typ. Excudebat:
SIMON LIBERHIRT.

V I R Q

De Ecclesiâ Jesu Christi amplissimè merito
Summè Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo

DOMINO ANDREÆ Rühn/

SS. THEOL. D. CELEBERRIMO,

Ecclesiæ Annabergensis Pastori primario, ejusqve ut &
Vicinarum Superintendenti vigilantissimo, gravissimo,

Domino Patrono, Evergetæ Promotori

aterrnum devenerando. &c.

Nec non

Admodum Reverendo ac Praclarissimo

D.M. JOHANNI THOENNIKERO

Ecclesiæ Tschopaviensium Pastori, & Dioeceseos
Chemnicensis Adjuncto Spectatissimo, &c.



Parenti suo longè charissimo

disputationem hanc

in gratæ mentis τικμηεου

05 A 647

D. D. D.

eorundem servus & filius

M. J. D. T.



ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



Vam accerrime Papa per multum
nunc tempus pravis atque Diabolicis erroribus
in pium Christi gregem savierit, quantumque
sibi divinae Majestatis adscripserit, in sacris ver-
sati probe tenent omnes. Et appropinquavit
sane nunc tempus de quo 2. *Thess. II, 3.* quod

ἡ ἀποστασία, ὁ ἀνθρώπος τῆς ἀμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπολείας ἔλθῃ.
Ὁ ἀντικείμενος καὶ υπεραρρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ
σέβασμα, ὡς αὐτὸν εἰς τὸ ναὸν ἔθεῖ ὡς Θεὸν κατὰ τὴν ἀποδοκίμωσιν
ἑαυτὸν ὅτι ὁ Θεός. Hæc enim de Papa Romanensi dicta fuisse,
perspicuè palam est, quippe qui non solum potentiam sibi divi-
nam arrogat, sed & contra summum Numen & clarum ejus ver-
bum, quicquid lubet, profert, adeoque ad defectionem animas
invitare non erubescit. Quid enim studet ille scelestus sub de-
testabili dogmate Purgatorii, quam verbum Dei rejicere. ejus gra-
tiam inenarrabilem minuere, & meritum Christi, nos à sordibus
peccaminosis emundans pro Adamiticis nunquam plene satisfac-
cisse, blasphemè inculcare. Ut igitur quisque videat, quid de
Purgatorio Papistarum sentiendum, quamque ineptissimis istud do-
gma nitatur fundamentis, præsentem disputationem, Altissimi
gratiâ fretus, conscribere. mentem induxi meam. In quâ autem
multisonans purgatorii descriptiones varia ejusdem nomina, quibusve
in locis fingatur, prolixè adducere tædet, sed quam ineptè
illud ex sacro libro defendatur, quodque ejus origo neutiquam
in eo quaerenda, imprimis monstrare sedet. Tu autem bone Jesu,
ut pijs nostris conatibus adsis, indefinenter
rogamus.



THES. I.

§. I.

Describitur à Pontificiis Purgatorium, uti ex scriptis eorum, & imprimis Bellarmini videre licet, quod sit locus quidam subterraneus Gebennæ vicinus, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur anime Salvandorum immensis Gebennæ ignibus, donec vel propriâ satisfactione, vel vivorum auxiliis, omni exusta immunditie, pure ad vitam æternam abeant. Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 1, It. Gregorius de Valentia Tom. 4. Controvers. p. 2188.

§. II. Quot verba tot fermè absurda. Ipsi Pontificii ignorant, ubi purgatorium quærendum, an in terrâ, an in aère, an in aquâ, siquidem animam Paschasii in balneo inventam esse, dicebat vetus illorum fabula test. Bellarm. de Purg. l. 2. c. 6. ut suam balneari locaret operam in fricanda scabie, & abluendis sordibus. Alias invenunt in uepribus, alias in montibus, alias in convallibus, alias in puteis, alias sub umbris arborum, alias in aère Vid. B. Gerlachius in diss. de Purg. Tubinga anno 1591. habita, thes. 73. Bellarminus in supra allegato lib. 2. c. 6. de Purg. fatetur, animas purgari in loco super aërem. Cur ergo dicunt locum subterraneum, & quidem Gebennæ vicinum, quasi aliquid certi ipsis constaret, quo loco Gehenna sita sit. Porro si animæ in carcere sunt, non possunt ad nos venire, & petere, ut pro iis oretur. Ecquid dicam de igne Purgatorii? Pontificii in Purgatorio ignem Physicum statuunt, qualem tamen plurimi eorum in Gehenna negant. Vid. infra Thes. III. ibi invenies eos summopere dissentire, in quo pœna purgatorii consistat. An Redemptio propriâ fieri possit satisfactione constat ex Eph. II. Ubi gratiâ & dono Dei salvati dicimur, non ex nobis, non ex operibus nostris, Brevibus audiamus ipsum Bellarminum, idolum Papisticum de Purg. c. 13. resp. ad 8. Post hanc vitam non est locus, in quo scelerati convertantur, & mores suos corrigant.

THES. II.

§. I. De Origine Purgatorii. ut nunc dicamus, indubitanter credendum, ab Ethnicis partim, partim verò à spectris Diabolicis

licis Romanenses omnem Purgatori haussisse scientiam. Sic enim Bellarm. l. n. c. n. de Purg. Tertia ratio sumitur à communi opinione omnium gentium: Id enim confitentur Ebraei Mahumetani, Gentiles inq; tam Philosophi quàm Poëtae.

§. II. Facile equidem concedimus, enarratos credidisse purgatorium, & quamvis de Ebraeis adhuc dubitandum, de reliquis tamen res clara est. Nam de Mahumetanis probatur ex eorum, ut vocatur Alcorano. De Ethnicis adstant eorum scripta, sic Verg. Aeneid. V.

Annua vota tamen solennesq; ordine pompas
Exequeret, strueremq; suis altaria donis.

Et Claudianus lib. 2. in Ruff:

Quos ubi per varios annes per mille figuras
Egit Letheo purgatos flumine &c.

Ut præteream hic Platonem sæpe in Gorgia & Phadone hac de re differentem, (qui etiam à nonnullis primum purgatorium construxisse fertur) nec non Ciceronem in Somn. Scip. Sed si hi omnes credant purgatorium, Ergo necessum, ut & nos credamus. Non qui Ebraei Mahumetani & Gentilibus, sed qui FILIO credit, habet vitam æternam Job. III. 36. Doctrina nostra sumenda est, non ex scriptis gentilium, sed ex Scripturâ Θεοπνεύτω II. Tim. III. 16. hanc scrutari debemus Job. V. 39.

§. III. Maxima etiam Purgatorii Originis pars adscribenda est apparitionibus spectrorum, à quibus tamen nequaquam veritas quærenda Deut. XVIII. Bellarminus lib. 1. de Purg. c. II. scribit: Quarta ratio sumitur ab apparitionibus animarum, quæ se in purgatorio esse, renunciaverunt, atq; opem à vivis imploraverunt. Adducit etiam de istiusmodi apparitionibus historias multas ex libris, qui auctoritatem cum Æsopo habent communem, & plerumque à spurcis Monachis sunt conficti, tales sunt: Revelationes S. Brigittæ, Dionysii Carthusiani, Petrus Damianus, Speculum Historiale Vincentij, Johannes Climacus, Liber de proprietatibus Apum, Christina admirabilis, & similes in quibus mera mendacia deprehenduntur, indeque Auctorem eorum satis manifestant. Polyd. Virgil. de inventionem rerum lib. VI. c. 6. 10. p. 518. seqq. dicit, ab Olidano, Cluniacensium Monacho, occasione fremituum & ululatum

circa *Ætname montem increbrescentium*; quos ille animarum in purgatorio clamores stolidè opinatus est purgatorium Anno Christi M. in Ecclesiam introductum.

§. IV. Optimè hic sentit Chrysostomus in cap. IX. *Matth. 29.* Quod verè immolatorum hominum animæ ipsis aruspiciibus cooperentur. unde mihi persuadebitur? An quia ipsos *Demoniacos* clamare nonnunquam audivisti, anima hujus ego sum? verum hæc quoque oratio à fraude atque deceptione diabolica est. Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit: sed demon, qui hæc, audientes ut decipiat, fingit.

THES. III.

§. I. Videndum nunc quoque est, quâ ratione animas in purgatorio cruciari delirant *Esawitzæ*. Inter ipsos sanè hic magna discrepantia & verborum altercatio occurrit, quidve hac in re amplectendum sciundignarissimi.

§. II. Sunt qui volunt, ignem Purgatorii ejusdem generis esse cum igne *Gebenne*. Imò in substantiâ dicunt eundem esse ignem purgatorii & inferni, & pœnas etiam esse easdem, nisi quod in purgatorio sint transitorie. Exam. *Concil. Trident. Chemnit. part. 3. p. 255.* *Bellarmin. l. 2. c. 11. de Purg. it. Ant. part. 4. tit. 14. c. 10.* dicunt, igne corporeo (in quo tantus æstus, ut si ex omni ligno in universa terra accenderetur ignis, huic non posset comparari) animas in purgatorio torqueri.

§. III. Accuratius autem re perspectâ, nimirum præposterum & absurdum esse, quod spiritus (incorporeus) corporeo igne crucietur, vult eod. lib. 2. *Bellarmin. c. 13. cum Schoppio in Apolog. contra Hunn. c. 57. p. 81. n. 169.* non solum vehementiâ istius ignis, sed & à Diabolis animas affligi, hancque sententiam stabilire quærent ex apparitione Papæ *Benedicti VIII*, qui ex utâ vitâ apparuit (de certitudine non est dubium) ultroque confessus est, se maximos à Diabolis cruciatus perpeti. Et licet jure *Esawitzæ* verbis Patris eorum & Præceptoris (Diaboli) fidem tribuere deberent, tamen adhuc dubii adstant, siquidem *Bellarmin. l. 2. c. 13. de Purg.* scribit: *Maneat hoc inter secreta, an à Diabolis animæ in Purgatorio torqueantur, suo tempore nobis hæc aperientur.*

§. IV.

§. IV. Ut taceam hic sententias aliorum, qui iputarunt,
animas in purgatorio *pluvias, ventos, famam & frum* passuras.
Videsis Hist. Eccles. Magd. cent. 12. c. 17. p. 1754.

THESIS IV.

§. I. Ex his præmissis licet satis superque sciant Romanen-
ses, omni prorsus certitudine carere purgatorium, tamen
pudore abjecto amplius insurgunt, illudque in *Sacris Scripturâ*
fundamentum habere blasphemè asseverant. Sic enim *Eckius*
de Purg. tit. 25. Purgatorium esse satis constat ex Scripturâ. Sed
quanta & hic inter eos dissonantia? Fatetur enim *Petrus à Soto*,
ineptiarum Pontificiarum non postremus propugnator, *purgato-*
rium ex Scripturæ testimoniis probari non posse. Et *Concilium Tri-*
dentinum quoque *Sess. 9.* mandat, ut *sana de Purgatorio Doctrina*
à S. patribus tradita à Christi fidelibus credatur, nullâ prorsus Scri-
pturæ mentione factâ. Sufficiens ergo fundamentum purga-
torii in Scripturâ S. quæsitum destruere possemus, si posce-
mus, ut se suosque prius reconciliarent, quam ad scripturam pro-
vocarent. Verumtamen, ne fortasse ipsis timidi videamur, &
neve lepores nobis tanquam Leonibus dormientibus insultare
pergant, præcipua loca Scripturæ tam V. quam N. Testamenti,
quæ pro purgatorio haut rarò adducere solent, examinabimus.

§. II. Et si Veteris fœderis librum prius evolvimus, habee-
tur ex Ps. LXXXIX. vers. 94. *Quis vir vivet & non videbit mor-*
tem, eruet animam suam de manu inferni. Hic *Fevardentius lib. Ho-*
Theomach. c. 16. purgatorium probare conatur, quod Deus erue-
rit quasdam animas *de manu INU*, ut iisdem vitam æternam
largiatur. Sed quem latere hic potest imprudentia & impuden-
tia Papistarum. Et rectè adducimus verba *B. Lutheri e Tom. V.*
Jen. Germ. fol. 169. b. die Psalmen sind gemacht/ den Glaubere
darin zuüben/ und zu lernen/ und nicht/ daß man damit die See-
len durch Mißverstand auß den See Feuer lösen solle. (1) His ver-
bis Psaltis nequaquam Purgatorium sufflare potest *Fevardentius*,
cum nullibi scripturæ locum monstrabit, ubi *INU* denotet pur-
gatorium. Sumitur equidem variè in sacris, quippe jam pro sta-
tu damnatorum, ubi animæ impiorum in æternum torquentur,

v. g. Ps. LV. 15. jam pro dolore seu cruciatu damnatorum. Ps. CXVI. 3. jam pro extrema humilitate Ps. XVI. 10. jam pro statu & conditione mortuorum sive bonorum sive malorum, quæ significatio hujus loci jam pro sepulchro. Gen. XLII. 36. Sed inde non sequitur quod etiam purgatorium indigitet. (2) Jebusitæ ut in aliis ita & h. l. sibi sunt contrarii, nam Stapletonus ser. 5. hebdom. 2. Quadrag. p. 8. hic intelligit limbum Patrum. Sed limbus Parrum & Purgatorium distincta sunt loca juxta Pontificios, ergo HINU neutiquam h. l. utrumque notare potest. (3) Psaltes universaliter & de omnibus loquitur, omnes verò in purgatorium venturos, acerrimè negant Eslawitæ. Potius hic ut supra notavimus per HINU intellectum volumus communem locum, regionem & statum defunctorum tum bonorum, tum malorum, seu communem illam viam universæ carnis, quam omnes omninò homines ingrediantur oportet. Quemadmodum hæc vox usurpatur Gen. XXXVII. 35. vid. Flavius part. 1. Clav. p. 448. Tale receptaculum omnibus animabus commune etiam Lutherus statuit, uti patet ex verbis super cap. XXV. & XLII. Gen. fol. 630. b. Risu verò hic excipiendus est Pareus, quando in cap. XLII. Gen. Col. 2042. Lutherum tam crudum fuisse opinatur, ut voluerit piorum animas in quodam communi domicilio cum impiis permixtas esse. Hæc nunquam mens fuit B. Lutheri; sed potius per HINU significari censuit animarum in suas sedes transitum, ac status mutationem quibusvis communem. Vid prolixius B. Meisneri Philos. sobr. part. 2. sect. quest. 2. m. I. p. 291. & 292.

§. III. Secundus locus, quem imprimis in V. T. urgent, & ad probationem purgatorii contorquent de sumptus est è Macc. XII. 46. ubi: Sancta & salubris cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. Exinde concludunt Bellarm. lib. 1. de Purg. c. 3. & Salmeron tom. 14. disp. 25. p. 219. esse aliquos in purgatorio, quia in peccato mortui sint, ita, ut hoc illis remitti possit, & à peccatis solvantur quando pro iis à vivis orationes fiunt. Verum (1) notandum ex libris Maccabæorum non probanda esse dogmata fidei, quia sunt Apocryphi, quod inde constat, nã (α) describunt res post C. C. annos à morte Esdræ gestas, ast Irenæus l. III. c. 25. Tertull. de habitu

*habitu mul. c. 3. Isidorus lib. VI. etym. c. 1. & c. 3. Euseb. lib. V. hist. Eccles. c. 8. Chrysof. in Epist. Ebr. homil. 8. Theodoret: prafat: in Psalmos, Rabanus Maurus de instit. cler. c. 54. constanter asseverant, Esdram post reversionem Babylonicam libros Canonicos ordinasse & constituisse. Libros autem Maccabæorum non in Canonem retulit, quia t. t. nondum erant scripti (β) Autor eorum est incertus, siquidem Hieronymus in Catal. Viror. illustr. Josephum horum auctorem dicit. Vide, si lubet, varias disputationes de nomine Maccabæi in *Quistorp. proëm. ad libr. Maccab. p. 791. & 792.* (γ) Multa in iis continentur sphalmata historica, nec non libris Canonicis rectâ contraria, ut *1. Macc. I. 7,* cuius contrarium legitur *Dan. XI. 4.* Vid. *Isaaci Casauboni exercit. in annal. Baronis, & Scaligeri notas ad Eusebium (δ) A Gregorio M. Pontifice Romano lib. XIX. c. 16. Moral. Apocryphi vocantur. Quanta verò sit auctoritas librorum Apocryphorum pridem est præjudicatum à Petro Cluniacensi lib. 1. epist. 2. Wilhelmo Occano. part. 3. Dial. Tract. 1. l. 3. c. 16. Nicolao de Lym in cap. 1. Esdr. &c. quippe nihil ex iis ad auctoritatem fidei confirmandam proferendum, licet eorum lectio (sobria) non sit vetita. Rufin. in explic. Symb. (2) Pro illis hominibus oblatum est hoc sacrificium, qui sese idolatriâ & sacrilegio obstrinxerunt, uti legitur *vers. 40. ejusd. cap.* Tales verò peccatores Papa nunquam ad purgatorium mittit, nec impœnitentes, de quibus hic sermo. (3) Ex Oratione aut sacrificio pro mortuis non statim sequitur purgatorium, siquidem & pro martyribus olim sacrificia oblata fuisse, testis est *Cyprianus,* quos tamen *Bellarminus* rectâ in cœlum tendere ait. (4) Verba illa: *Sancta erga &c:* è margine videntur in textum irrepsisse, nec omninò conveniunt cum textu Græco. Res hic erit clarissima, si textum accuratiùs intuemur, qui sane nequaquam commendat purgatorium, sed *resurrectionem mortuorum.* Scivit enim Maccabæus, illa duo millia virorum, licet sine pietate mortui essent, aliquando resurrecturos. Ut igitur in die iudicii & resurrectionis non damnarentur propter peccata, in quibus mortui fuerant, cogitavit Maccabæus, cum pro vivorum peccatis instituta essent sacrificia, posse forsan etiam mortuorum peccata**

B

expiari.

expiari. Sed nullum mandatum in verbo habebat Maccabæus. Vid. Exam. Conc. Trid. Chemn: part. 3. de Purg. c. 2. p. 529. & 530. Audiamus B. Lutheram Tom. V. Jen. Germ. p. 162. in h. l. Es zeigt dieser Text selbst an/ daß er nichts halte von der Pein oder Fegfeuer der Seelen/ denn er spricht ja also/ es wäre vergeblich und unnützlich für die Todten bitten/ wo keine Auferstehung wäre/ will ja klährlich damit anzeigen/ ob Sünde da wären der Todten/ die möchten ihn in der Auferstehung schaden thun/ nicht vor der Auferstehung/ denn vor und ohn die Auferstehung/ hält ers vergeblich / daß man vor die Todten bitte / denn wo sie nicht auferstehen/ und ehe Sie aufstehen ist umbsonst für Sie bitten. Daß also dieser Text nicht allein ungewis / sondern auch stracks wieder das Fegfeuer/ Feilsfeuer/ oder Lügenfeuer ist. Non nulli etiam putant, verba, ut à peccato solvantur, non ad mortuos, sed ad vivos pertinere, hōc sensu, quod Judas propitiationem fecerit pro mortuis i. e. piis precibus & sacrificiis Deum placare voluerit, ne peccatum mortuorum populo superstiti imputaretur, si quidem probè noverat Maccabæus, quod, si unus è populo se anathemate inquinasset, totus populus implicaretur reatu peccati, ut ex Jos. VII. 11. & 12. liquet: quia enim solus Achan execratum quid abstulerat, summâ vindictâ Deus persequabatur crimen & flagitium in universam Israëlem. Certum etiam est, multos adhuc inter vivos fuisse, qui in direptione oppidi Jamnia, sibi de illis quædam vindicârunt, quæ consecrata fuerant idolis, & se eodem sacrilegio contaminaverant. Idcirco ne perirent, misit, Jerosolymam viritum collectam pecuniam, ut sacrificia fierent pro hoc peccato commisso. Vid. Mentzerus in Anti-Pistorio diff. 22. c. bes. 101. Sic & proluxè Rainoldus prælect. 105. & seqq.

§. IV. Tertius locus, quem pro Sententia sua pugnare attumant Papistæ reperitur Tob. IV. 11. Eleemosinæ à morte redimunt, neque in tenebras venire sinunt. Et vers. 18. Panem tuum & vinum super sepulcrum justî constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Ex his Bellarminus l. 1. de Purg. c. 3. πὺξ ἡγῶ ἀλλ' purgatorium suum fulcire, alla laborat dicens oblationes Eleemosynarum rectè fieri pro fidelibus, ut ex Purgatorio liberentur.

rentur. Jufferat enim hic Tobias panem & vinum super sepul-
 turam justorum constitui i. e. instrui convivium, & vocari fideles
 pauperes, ut isti post acceptam eleemosynam orent pro animabus
 defunctorum in Purgatorio desudantibus. Verum enim verò (1)
 Liber hic est Apocryphus, quod clarum nam (α) manifestum in
 se continet ἀντιλογία. Sara enim Raguelis filia & Gabel
 in Rages Medorum habitasse dicuntur: Et tamen nihilominus
 Angelus ex eo loco, ubi habitabat Sara, scribitur ablegatus in
 Rages ad Gabelum ad poscendam pecuniam Tobiae debitam c. 9.
 v. 1. seq. Et frustra laborat *Michaël Medina lib. 6. de recta fide*
 c. 14. locum hunc defendere, & vitium typographicum præten-
 dere, cum nulla prorsus inter Rages & Ecbatana, (mandat enim
 ut pro Rages legi debeat Ecbatana) sit similitudo. (β) Tobias
 secum ipse pugnat, id quod apparebit collatis *cap. i. v. 4. cap. II.*
v. 11. cap. XIV. v. 2. (γ) Inter editionem Græcam & latioam ma-
 xima videtur repugnantia. Vide hic *Papismum D. Gisenii disp.*
2. de Jesuit. Origatque de lib. Can. & Apocryph. p. 95. (δ) Non so-
 lum Patres hunc librum pro Apocrypho habuerunt, siquidem
Hieronymus præfat. in lib. Salam: ait. Tobia librum legere quidem Ecc-
lesiam, verum eum inter Canonicas Scripturas non recipere, sed &
Cajetanus Cardinalis ut patet ex sin. Comment in hist. V. T. Gloss.
decreti Gratiani dist. 16. c. 1. Hugone in prolog. Josue Quod verò A-
 pocryphi libri in dogmatibus fidei nihil probent præcedenti thesi
 fuit ostensum. (2) Dicitur hic de justis, justorum verò animæ
 non in purgatorio, sed *in manu Dei* sunt. *Sap. III. 1.* Verus sen-
 sus textus hic est. Loquitur Tobias de Eleemosynis, ut sunt fru-
 ctus pænitiæ, & h. m. de morte crudeli & poenâ temporali li-
 berant Ps. XLI. 2. tamen non liberant *ex condigno Deo satis faci-*
endo, sed Deum permovendo, ut nimirum sæpe aliquod mortis pe-
 riculum aut morbos ex merâ misericordia propellat, ut loquitur
Hunnius tom. 1. oper. latin. p. 1501 & seq. Balduin. de casu conse. l. 4.
c. 17. cas. 15. p. 1272. Audiamus *Pamphrastas Vinienses: Die-*
jenigen/ welche auß wahren Glauben und gehorsam gegen Gottes
Geboth gern Almosen geben/ die werden hinwiederumb von Sün-
den/ und einen bösen Ende behütet / und wird Ihnen auß der
B 2
Wieder

Wiederwertigkeit geholfen. Quod ad *vers.* 18. ille sic explicandus est: Tobias hic respicit *morem Veterum in curandis funeribus pie defunctorum*. Nam epulas tristes super illis instituebant, qualis mos etiam hodie in septentrionalibus Regionibus observatur, non vero propter adjumentum mortuorum, sed propter solatium vivorum, qui in luctu erant. *Jer. XVI. 7. Prov. XXXI. 6.* sive, ut ii qui funus comitati erant, recordarentur, se esse mortales: ideoque pauperum memores, eorum preces expetebant, quorum preces plurimum apud Deum habere ponderis sciebant, ut ipsi aliquando feliciter ex hoc mundo emigrarent. *Osiand. in b. l.*

§. V. Quartum locum quem adducunt, desumerunt ex *Mich. VII. 8. 9.* Ubi Propheta: *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, & faciat judicium meum.* Ex his Bellarminus *lib. 1. de Purg. c. 3. loc. 8.* probare conatur, animas in tenebris i. e. in purgatorio sedere, ibique iram Dei portare, usque dum Deus proferat judicium ipsarum, i. e. donec satis purgatæ in cælum transferantur. Verum ridicula hæc explicatio est nam 1. Loquitur Propheta in persona totius Ecclesiæ Judaicæ *Ruperta & Riberâ* in h. l. interpretibus, totam vero Ecclesiam in purgatorium venturam, ipsi Pontificii negant 2. Si Deus juxta sequentia hujus cap. imprimis *vers. 18. & 19. abstulit, mundavit, & projecit* peccata omnia in profunda maris, reliquæ venialium superesse non possunt, à quibus homines in purgatorio purgandi sint. Vid. *quæso Thumm. de Purg. Pontif. p. 72. seq. nec non Cham. tom 3. Panstr. lib. XXVI. c. 5. § 35. seqq. p. 568. seqq.* Genuina Prophetæ verborum explicatio hæc est: Loquitur Michas non de tenebris proprie sic dictis quarum mentio fit *Pl. XXXIX. 11 & 12.* Vid. *Alle Gegenwart Gottes Dn. D. Geieri 19. Andacht p. 292. & seqq.* sed *de tenebris Spiritualibus*, quippe calamitatibus & afflictionibus hujus vitæ (quemadmodum etiam glossa ordinaria hunc locum explicat) quæ haut raro dicuntur tenebræ in sacris *Es. V. 10. cap. IX. 2. Joël. II. 2. Amos. V. 8.* Cum igitur in afflictionibus exponendis versetur Propheta, consolationem divinam tanquam lucem in corde

corde affulgentem expectare & castigationem Dei justam tempore
talem a quo animo sustinere mandat exemplo *Davidis Ps. CXVI.*
10. & seqq. Latronis. Luc. XXIII. 41. Danielis cap. IX. 4. & seq. Usque
dum injurias suas innocenter ab hostibus acceptas vindicet, & a
tyrannide & subannatione liberet. Innocentes vero erant Israe-
litae non respectu Dei, sed respectu hostium Assyriorum, qui nequa-
quam justas causas habebant, ut t. r. populum Dei affligerent, sed
erant flagella Dei exemplo Turcae, quae tandem in ignem mittit
Deus, & comburit.

§. 6. Quintus locus. quo pro confirmatione Purgatorii n-
tuntur Papistae habetur *1. Sam. XXXI, 13. Habitatores Jabes Gilead*
audita morte Saul jejunaverunt. Quod etiam fecit David 2. Sam. I.
Hinc *Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 3.* concludit, Jabenses ad juvan-
das animas in purgatorio septem dies jejunasse, sic & Davidem.
Sed falsum est, quia nunquam animae Saulis & Filiorum ejus tan-
quam impiorum in Purgatorio fuerunt juxta ipsos Pontificios,
ergo eadem quoque jejunando in purgatorio haut juvare potue-
runt. Jejunaverunt potius juxta *Tostatum in Comm. b. l. quest. 19.*
p. 327. (α) in signum gratitudinis, quia ipsos Saul ab Ammoni-
tis liberaverat. *1. Sam. II, v. 11.* (β) In signum doloris & luctus,
cui septem dies destinati erant. *Syr. XXII, v. 13.* id quod non mi-
randum & ridiculum habendum cum *Bellarmino*, siquidem de
Daniele legimus, quod per tres septimanas luxerit cibum
delicatum non comederit, & a carne & vino abstinuerit, *Dan.*
X, vers. 3. Hoc jejunio vero cives in *Gabes Gilead*, non im-
probarunt judicium Dei justum adversus Saulem; sed partim
nimio hoc luctu improbare *Philistinorum* crudelitatem, partim
exemplo docere voluerunt, amissis *Reipublicae* Gubernatoribus
serio lugendum esse. (γ) in signum ardentis petitionis, ut mor-
tuo hoc Rege est regni domino, alium Regem & quidem meliorem
acciperent verbo divino studentem. Nam si quid serio a Deo
petebant, jejunabant, uti *Esra cap. VIII, 23. Daniel, cap. IX, 3.* vid.
die erste Buß-Predigt des 1672. Jahrs Theologi consummatissi-
mi. *Dn. D. Geieri* eleganti & incomparabili libello von der Allge-
genwart Gottes affixam.

§. 7. Sextum locum citant ex *Ps. XXXVIII. 2.* Ubi Da-

B 3

vid:

vid: Domine, ne in furore Tuo arguas me neq; in irâ corripas me. In
 irâ corripit inquit Bellarm. l. 1. de Purg. c. 3. arg 3. est puniri severe
 p. hanc vitam ad correctionem tamen & emendationem, nimirum in
 purgatorio. Omnia falsa, nam (1) Romanenses hîc iterum sibi ipsi
 sunt contrarii, siquidem *Fevardentius l. II. Theomach. c. 16. n. 1.* per
 furorem intelligit purgatorium, per iram infernum. Quin ipse sibi
 contradicit Bellarm. quando in *Pf. VI.* cum *Genebrardo & Cajetano*
iram & furorem pro eodem loco intelligit. Videmus ergo Papistas
 hîc dubios esse, ex dubiis verò non sunt probanda dogmata fidei.
 (2) Si in irâ corripit est in purgatorio torqueri, utique David vivus
 in purgatorio fuit, quia in ira Domini est correptus. *Gisenii Pa-*
pismus disp. 22. de Purg. p. 378. (3) Carnis mortificationem, ex-
 ercitia pietatis, ac patientiæ post mortem cessare concedit variis
 in locis Bellarm. ergo nemo p. mortem ad correctionem & emen-
 dationem potest puniri. Est autem unus, idemqve sensus utrius-
 que phrasedos, sicuti in Psalmis usitatum est, ut in uno versiculo
 idem bis, commutatis saltem verbis, efferatur, & denotat mor-
 tem æternam, sicuti *Arnobius* scribit: *Nos cum iram sentimus, fu-*
rorem dicimus, quia inopiam patimur & sermonis, & rationis. *Gesne-*
rus in h. l. dicit, arguendi vocem pertinere ad condonationem culpe,
 correptionem ad veniam pœne temporalis & æternæ, & sententiam
 Davidis esse, quod oret gratuitam peccati condonationem, legis-
 que maledictionis aversionem. *Augustinus* interpretatur, quod
 David velit in hac vitâ castigari, ubi est tempus gratiæ & locus
 pœnitentiæ, ne in altero seculo cum impiis absque omni miserie-
 cordia in Gehennam præcipitetur. *Dn. D. Geierus* in h. l. vult,
 LEGALEM IRAM, quando conscientia omni sensu gratiæ desti-
 tuta, nil nisi mera audit Legis tonitrua & maledictiones, & REA-
 LEM per multiplices corporis, fortunarum, famæ, animæque pla-
 gas, quæ ab Irato immittuntur iudice, tum in hoc, tum futuro
 seculo intelligi. Accuratè *Bellarmini* ex h. l. purgatorium refuta-
 runt *Thumm. de Purg. p. 63.* & *Balduinus contra Schopp. p. 498. & seqq.*

§. VIII. Septimus locus desumptus est ex *Es. IV, 4.* *Purga-*
bit Dominus, inquit Propheta, sordes Isrlorum & filiarum Sion, &
sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicii, spiritu combu-
stionis. Bellarm. l. 1. de Purg. c. 3. l. 6. exinde Purgatorium Papisti-

SUM

eam sufflare allaborat, cui *Fevar dentius l. II. Theomach. c. 16.* suppetias fert, autumans, per filias Sion intelligi animas piorum in Israële, per sordes & sanguinem peccata, à quibus purgentur animæ in Purgatorio, spiritu iudicii & combustionis indigitato. Sed Resp. (1) Per sanguinem intelliguntur gravia & mortalia peccata, juxta usitatam scripturæ Phrasin *Es. I, 15. Os. IV, 2.* Verum ex hypothese Pontificiorum venialia tantum, non mortalia peccata in purgatorio abluuntur.

(2) Vaticinium Esaïæ est *promissio*, ergone purgatorium est *promissio*, in quo animæ miserrimè torquentur?

(3) Purgatio, cujus Propheta meminit, allegatur ut beneficium; At purgatorium Papisticum non est *beneficium*, sed *supplicium*.

(4) Ipsi Pontificii per Spiritum iudicii & combustionis intelligunt *Spiritum S. Cornel. à Lapide in b. l.* Verum quid huic refert cum Purgatorio, cui non Spiritus S. præsidet, sed attestantibus Pontificiorum fabulis *Cacodæmon*. Animus Prophetae est, quod *Germen Davidis vers. 2.* nimirum Christus purgaturus sit Ecclesiam suam ab inquina mentis peccatorum & scelerum lavacro aquæ *Eph. V. 26.* eamque Spiritu S. sanctificaturus. Spiritus S. autem spiritus iudicii est, quo Christus iudicium exercet, ut damnet, purget & mortificet veterem hominem. Pertinet spiritus iudicii ad sordes sicut *Johannes qq. cap. 16.* vocat *spiritum arguentem*. Ita dicitur spiritus ardoris, quod non defatigetur, sed vehementer instet, ut de die in diem crescamus & confirmemur. Pertinet autem spiritus ardoris ad sanguinem h. e. *ad reatum sanguinis* *Immundum enim est cor nostrum, & omnes sumus homicidæ coram Deo. Lutherus Tom. IV. Lat. Witeberg. p. 135. b.*

§. IX. Locus octavus adducitur ex *Zach. IX, 11.* Tu in sanguine Testamenti eduxisti vinctos Tuos de Lacu in quo non est aqua. Ubi *Bellarmino l. 1. de Purg. c. 3.* & *Stapulensis* dicunt, lacum illum, in quo non est aqua, denotare purgatorium, quia *educuntur*, quod in inferno non fit. Verum (1) Zacharias agit de lacu, in quo non est aqua *consolationis*, *Salmoron interpret. in 1. Cor. XV. dist. 26.* In purgatorio verò esse aquam consolationis, affirmat *Bellarmino ipse l. 2. de Purg. c. 4.* (2) Dicunt Pontificii propriis satisfactionibus & alio-

rum

rum suffraglis animas è purgatorio liberarari; sed hic legitur, quod è lacu liberentur *sanguine* sc. *Christi*, ergò per lacum non potest intelligi purgatorium. *Chemnic. Exam. Conc. Trid. part. 3. p. 565.*
(3) Zacharias loquitur *de vincis*. Sed animæ non sunt vincæ in purgatorio, juxta Pontificios, quia fatente *Bellarmino. l. 2. de Purg. c. 8. ad nos viventes in terras proficisci possunt*. Et quamvis Papicolæ hic ogganniant, animas in scripturâ læpe dici vincas, nimirum *per metaphoram*, qua ratione etiam animæ dicuntur solutæ, nil tamen nisi ridiculum murem, parturientes montes repræsentaturi, producant, siquidem animæ vincæ dicuntur *propter corpus*, ergò absurdum de animâ à corpore separatâ affirmare, quod sit vincæ. *Vid. Vindic. Biblic. Prückneri in h. l.* Sunt hæc verba Dei Patris, uti omnes ferme ex nostratibus sentiunt, qui loquitur de emissionem & liberationem per sanguinem Salvatoris nostri Christi Jesu factâ ab æterna condemnatione sive inferno. Erasmus enim nos miserum homines projecti in foveam in cisternam, in lacum ejusmodi, in quo nullat erat aqua i. e. nullum refrigerium, nullum solatium *Luc. XVI, 24.* Exinde verò liberavit nos filius Dei pretioso suo sanguine *Act. XX, 28.* sunt quidem, qui huac locum intelligunt de educatione ex captivitate Babylonicâ, quos verò prolixè refutavit *B. Dorscheus l. 1. p. 117.* Doctores enim tam veteris, quam modernæ Ecclesiæ verba hæc acceperunt de captivitate spirituali, è qua per Christum sumus liberati. *Hieronym. Comment: in b. l. August. lib. 18. de C. D. c. 35. Cyrillus Alex. in b. l. Theophylactus in Comment. in XII. Propb. Min. ad b. l. B. Lutherus & alii multi.* Legi quoq; hic potest Incomparabilis judicii Theologus *D. D. Calovius* in *Bibl. Illustr. super h. l.* qui sanè cujusvis desiderio satisfaciet.

§. X. Possemus adhuc multa alia loca ex V. T. adducere, quibus Romanenses purgatorium fulcire conantur. Verum cum facillimè ad ea responderi possit, brevitati studebimus, & ad N. T. properabimus, conspecturi, quæ exinde pro purgatorio loca producant Romanenses. Imprimis verò verba Christi afferunt ex *Matth. XII. 32.* ubi dicit, *esse quoddam peccatum, quod neq; in hoc, neq; in futuro seculo remittatur.* Ex his Christi verbis Romanenses urgent peccata aliqua remitti in futuro seculo *per ignem purgatorii.* *Bellarmino. l. 1. de Purg. c. 4. Barmedius tom. 2. Concord. Evang. l. 8. c.*

l. 8. c. 17. p. 557. Verum enim verò (1) *Hilarius, Hieronymus, Chryso-
stomus, Theophylactus, Athanasius*, multa de hoc dicto scripse-
runt, nullus tamen eorum talem interpretationem apposuit. (2)
Marcus epitomator Matthæi ejusdemque interpres certissimus
cap. III, 29. hæc verba sic effert: *Non habet remissionem in ater-
num*, ergò nec in purgatorio. *Vid. Hieron in c. 12. Matth.* (3) Chri-
stus loquitur *de futuro seculo*. Tempus vero futuri seculi de tem-
pore *post resurrectionem* mortuorum in Scripturâ accipitur &c.
Si quidem *adventus Christi ad judicium faciet finem huic seculo* *Matt.*
XXIV. Et *Luc. XX. 35.* *Tempus resurrectionis* expressè vocatur *tempus*
futuri seculi. Ergò hic non probari potest purgatorium, cum pur-
gatorium *post resurrectionem* fieri ipsimet negent Papistæ (4)
Christus loquitur *de remissione in futuro seculo*, Adversarii verò in
purgatorio *non remissionem, sed satisfactionem* urgent, quæ remis-
sioni opponitur. (5) Dicit hic de peccato in Spiritum S. quod est
mortale, sed veniale tantum in purgatorio remittunt Romanenses,
Vera ac genuina explicatio hæc est: Christus vult affirmare, si pœ-
nitentiam agenti peccatorum remissio annuncietur in hoc secu-
lo, se in futuro seculo quippe in extremo die declaratoria sua sen-
tentiâ hanc remissionem ratam habiturum, Sin vero quis im-
pœnitens in hoc seculo Spiritum S. aspernatus fuerit, ac proinde
peccata ipsius non remissa, sed ligata fuerint, tum etiam futurum
ut in altero seculo non justus, sed ligatus & condemnatus pronun-
cietur. Et Matthæus hanc ob causam *locutione distributivâ* usus
fuit ut delicti hujus atrocitatem exaggeraret, & ostenderet pec-
catum in Spiritum S. tam horribile esse, ut hujus rei judicium iræ
divinæ & in hac vitâ exagitationibus conscientiæ sentiant, & in
altera longè gravius excrucianti sint. *Harm. Ev. Chemnitio. Ly-
sero. Gerbardiana Tom. I. p. 612. & seqq.*

§, XI. Paulus *1. Cor. II. 13.* dicit: *Ipse salvus erit, sic tamen*
quasi per ignem. Hinc *Bellarmino. l. 1. de Purg. c. V. Svarius in Thom. 1.*
part. 3. Tom. 4. disp. 45. sect. 1. n. 14. arguantur, animas eorum, qui
cum peccatis venialibus decedunt, igne purgatorio mundari à
peccatis illis, eò quod ipsæ salventur *quasi per ignem.* Verum (1)
Locus hic totus est *Metaphoricus* *Pelcano lib. de Purg. c. 6. p. 243. &*
Justiniano in b. l. fatentibus. At *ex solo sensu literati* firma in fidei

C

arti.

articulis argumenta deducenda esse docet. *Bellarmin. l. 3. de V. D. c. 3.* Quin *Becanus in disp. de judic. controvers. relig. Christi §. 38. p. 63.* dicit, locum hunc esse *obscurum*, & tamen exinde purgatorium stabilire audent, siquidem *Svarius* vocat h. l. præcipuum & celeberrimum ad firmandum purgatorium. (2) Non intelligitur hic ignis materialis qualem in purgatorio quaerunt Romanenses, quod partim particula *quasi* arguit, partim antecedentia, quæ allegorica, ipsis Pontificiis annuentibus; Quale vero est illud, quod igne debet probari, aurum, argentum, lapides, &c. talem etiam oportet esse ignem, quo hæc omnia probari debent. *B. Luth. Tom. V. cap. Germ. fol. 166. a.* Et quale antecedens tale etiam consequens esse oportet vi allegoriæ. Sic quando Christus *de semine in agro projecto* dicit. *Matth. XIII. 14. seq.* nemo fortasse tam stupidus erit, ut per agrum cor humanum, per semen autem hordei semen intelligeret, sed quia *ager metaphoricus*, ergo *et semen metaphoricum*, & denotat *verbum Dei*. (3) Papistæ ipsi per aurum & argentum *pia & perfecta opera* per stipulas verò *mala* intelligunt, sed perfecta venire in purgatorium negant, ergo hic ignis, quia utrisque & bonis & malis communis est, non potest esse purgatorius. Vid. *Manuale Confess. August. Hilsemanni disp. XV. de Extremo iudicio p. 710.* (4) Loquitur Apostolus de tali igne, qui non potest evitari: *Uniuscujusque opus, inquit, quale sit, ignis probabit.* At Pontificii statuunt Ignem Purgatorii posse multis modis evitari, & ei non assignant *santos Dei Martyres*. (5) Non dicit *purgabit*, sed *probabit*. Et mens Apostoli est, quod, si Doctor Ecclesiæ retinet fundamentum Christum Jesum, & super hoc doctrinam suam ædificat, ita, ut ipsius doctrina possit æstum tentationum aut severitatem examinis ferre & superare, olim in extremo die mercedem accepturus sit, quod undique solidam doctrinam Ecclesiam ædificaverit. Sin verò in certis casibus super doctrinam humanam ædificavit, quæ in fervore persecutionis & tentationis evanescit, frustra ædificavit; nihilo minus tamen ipse salvus erit, si modo retinuit fundamentum Christum Salvatorem, quamvis cum quadam jacturâ laboris, & doctrina illa humana, in qua per aliquot annos laboravit igne judicii & tentationis peribit, quemadmodum parietem ligneum & tectum stramineum igne corrumpi videmus salvo tamen ma-
mente

nente lapideo fundamento. Exemplis rem claram reddit. *Osiand*
quem vid. in h.l.)

§. XII. Porro, inquit Paulus 1. Cor. XV, 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent.* Hic Bellarm. l. 1. de Purg. c. 6. it. Schopp. in Apolog. pro Bellarm. c. 59. p. 84. volunt, Apostolum loqui de baptismo lachrymarum & poenitentiae, qui suscipitur orando, jejunando & elemosynas dando, quae omnia fierent pro mortuis, quippe non qui in caelo & inferno, ex quibus liberari non possunt, nec volunt, sed qui in purgatorio. Verum (1) nusquam in Scripturâ Baptismi vocabulum lachrymas, jejunia, & elemosynas denotat, ergò nec hic peregrina illa significatio locum invenire potest, siquidem Paulus ad Corinthios scribit, in spiritualium rerum cognitione adhuc jejunos, quique sensum illum inusitatum capere non potuissent. Vid. *Vindie. Bibl. Prückneri in b. l.* (2) Paulus hic non agit de statu animarum in purgatorio, de quo neque quidem, sed de resurrectione ut clarus textus est. (3) Loquitur Paulus non de baptismo pro alio facto, sed *ὑπὲρ* significat *super* sicuti *Eph. V, 20. ὑπὲρ πάντων, super omnibus*, inde etiam Lutherus vertit, *über den todten Gräbern.* vid. *Franzius de interpretat. Script. S. Oracul. 80. p. 578. & 579.* Respicit Apostolus morem nonnullorum in primævâ Ecclesia, qui super Martyrum, aliorumque piorum hominum tumulis, ad monstrandum se etiam esse paratos, sanguinem pro fide Christianâ fundere, quia certi essent de resurrectione mortuorum se baptizari curabant. Et Paulus hic eò melius articulum de resurrectione mortuorum Corinthiis persuadere studet, quando iis monstrat, quam certò sibi veteres per suaserint resurrectionem, aliàs enim non in hanc fidem se baptizari curassent: Tamen his verbis morem hunc Apostolus non laudat, sed pervulgatum iudicium, quod illi de resurrectione habebant, adhibet non incommodè ad probandum id, quod persuadere conabatur. Sic enim interdum adferimus communem rationem licet non usquequaque probatam, ad id, quod rectum & alias evidens est, affirmandum. Veluti cum dicitur: Hoc etiam pueri intelligunt, & vos id ignoratis. Quae verba non ex eo vim habent, quod puerorum iudicium sit magnificandum vel urgendum, sed significatur illis, rem esse satis per se manifestam, ut ab-

furdum videatur, eam negare velle. Vid. *Comment. D. Andrea Hyperii, in h. l. p. 321.* Cui verò hæc explicatio textus non placet, quam tamen *Georgius Major* Collega Lutheri, quia ipse Lutherus approbant, videat *Comment. Balduini super Epist. Paul. h. l. quæst. V. pag. 533.*

§ XIII. Sic etiam ex verbis Paulinis *Philipp. II, 20. In nomine Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, Eccius in Enchir. p. 219.* probare vult esse animas piorum in purgatorio, intellectas per *καταχθονας inferos Christo genua flectentes, quia non intelligi possunt demones juxta Peltanum lib. de Purgat. nec damnati, quia hi non exhibeant Christo cultum adorationis, quin potius ipsum extremè oderunt, & blasphemant.* Verùm (1) Romanenses ipsi sunt incerti; an purgatorium sit sub terra, supra terram, aut in aëre de quo supra *ib. I. quomodo ergò purgatorium hic probari potest, ubi Paulus loquitur de subterraneis.* (2) *Schoppius in Apolog. pro Bellarm. c. 60. fol. 85. scribit, argumentum hoc esse parum efficax ad asserendum purgatorium. Et per inferos Demones intelligunt Lyranus, Suarez. in Thom. tom. 3. disp. 43. Prius igitur ipsi inter se convenient, quam purgatorium nobis per suadere conantur.* (3) Si hic literalem sensum urgere volumus, pro voluntate Esawitarum, nec animæ in purgatorio, utpote *in corporea creatura* Christo genua flectunt. Paulus agit de extremo judicio ut ex collatione *Es. XLV. 23. & Rom. XIV. 10.* constat. Et per *ζουνακαυψιας* non intelligit honorem, aut reverentiam Politicam, sed metonymicè cultum religiosum & subjectionem *Eph. I, 21. 1. Per. III, 22.* in novissimo judicio Christo à cœlestibus, i. e. *beatis & sanctis Angelis Apoc. V. 12.* terrestribus, i. e. *piis & impiis, & inferis i. e. diabolis, quippe qui etiam quamvis involuntariè agnoscent hunc Jesum, quem blasphemarunt, Dominum ac judicem, ejusque potestati subjicientur. Luc. VIII, 31. 2. Per. II. 4. Jud. v, 6. exhibendam.* Vid. *Commentarius B. D. Frid. Balduini in Epist. Paul. super h. l. p. 982. Nec non Exam. Conc. Trid. Chem. part. 3. p. 566.*

§ XIV. *Matth. V. 22. legitur: Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio: qui dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio: qui dixerit fatue, reus erit Gehenna.* Hic, inquit *Bellarmin. l. 1. de Purg. c. 8. loc. 5.* distinguuntur tria genera peccatorum & poenarum. Et
tertio

tertio solū generi peccatorum tribuitur æterna damnatio, aliis autem, utpote levioribus peccatis leviores pœnæ, ex quibus infertur, animas aliquas post hanc vitam puniri *temporalibus pœnis*, quippe *inpurgatorio*. Verum (1) *Svaretz. tom. 4. in Thom. diss. 45. p. 557. Maldonatus in b. l. Barradius tom. 2. Concord. Evangel. l. VII. c. 17. p. 449* disertè scribunt, omnia illa membra *judicii, concilii, gehennæ*, significare *æternam damnationem & pœnam majorem & minorem pro qualitate delictorum*. Idcirco è loco, de quo ipsi incerti, non potest probari *purgatorium*. (2) Si per *judicium* intelliguntur pœnæ *purgatorii*, & per *gehennam* pœnæ *inferni*, sequitur per *concilium*, quod medio loco ponitur, innui supplicium inter *purgatorium* & *infernum* intermedium, quia levius est reum esse *judicii*, quàm *concilii*, (ut *August. lib. 1. de serm. in ment. c. 19. ait.*) & levius est, reum esse *concilii*, quàm *Gehennæ*. (3) Convitia *Apostolus Paulus Gal. V. recenset*, inter opera carnis & peccata mortalia. Horum verò pœnæ non in *purgatorio*, sed in *inferno* lændæ sunt. Christus hic per similitudinem à *judiciis* apud *Ebræos* usuratis desumptam, ostendit, iram & contumelias, quæ *Pharisæis* vix peccata videbantur, promereri pœnas æternas, quarum certè aliæ aliis leviores sunt, ut patet ex *Matth. XI. 22. Luc. XII. 48*. Et quidem illos pœnarum gradus licet impares, omnes tamen æternos esse, jamdudum observarunt & veteres, *Irenæus l. 2. c. 56. Tertull. de Orat. c. 50.*

§. XV. Eodem cap. V. *Matth. v. 25.* habentur verba: *Eslo consentiens adversario Tuo citò, dum es cum eo in viâ, ne forte iradat te adversarius judici, judex tartari, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Hinc *Bellarmin. l. 1. de Purg. c. 7. loc. 4.* concludit, in altero seculo esse *purgatorium* animarum, quia sit *carcer quidam, ex quo peccatores sint egressuri*, quando novissimum quadrantem reddiderint. At qui ex *coelo* nemo amplius relegabitur, & ex *inferno* nulla redemptio. At vero (1) *Pontificii* hic iterum sibi sunt contrarii, si quidem per *carcerem infernum* intelligunt, *Carthusianus, Maldonatus in b. l. Barradius tom. 2. Concord. Evang. l. 7. c. 17. p. 451.* (2) Hic locus est allegoricus. Articuli verò fidei non ex allegoricis detorsionibus, sed locis *Scripturæ* perspicuis probandi sunt, cum

juxta tritum Sancti Pontificiorum Patris *Thome* axioma, *sensus allegoricus non sit argumentativus.* (3) Quicumque irreconciliabiles moriuntur, cum peccato *mortali* huc discedunt, ut patet ex Gal. V. 20. & Joh. III. 15. peccata autem mortalia remitti in purgatorio ipsi negant Papistæ. Manifestum igitur est, ex h. l. purgatorium non posse probari, sed verba Christi ad fraternam reconciliationem, dum in viâ hujus seculi sumus, hortantur, similitudine petita à judiciis civilibus, & monstrant, illos, qui sine reconciliatione moriuntur in carcerem, h. e. *in ignem æternum* projiciendos, ex quo non exhibent, *donec* persolvatur novissimus quadrans i. e. *nunquam*, quemadmodum dico, non volabis *donec* pennas acceperis i. e. *nunquam* volabis. *Donec* enim h. l. non significat *tempus finitum*, uti *Genes.* XVII. 22. *Actor.* XXV. 16. sed *infinitem*, ut rectè *Beda* ex *Augustino* ait, v. g. *Gen.* VIII. 7. *Es.* XXII. 14. *I. Cor.* XV. 25. Vid. *Phil. fabr. Meisneri part. 2. Sect. 1. cap. 4. quest. 7. p. 338. Exam. Conc. Trid. Chemn. part. 3. p. 568.*

§. XVI. Quando *Salvator* Luc. XVI. 9. inquit. *Facite vobis amicos de Mammona injusto, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, *Bellarmin.* l. 1. de *Purg. c. 8. loc. 6. p. 1872. Lorichius in Fortal. cap. de Purg. num. 3. Schoppius in Apolog. pro Bellarm. de indulg. c. 58. p. 82. n. 171.* concludunt, esse purgatorium, è quo homines post mortem precibus *Sanctorum* liberentur, quia *Christus* eos amicos *Eleemosynis* facere jubet, ut quum defecerint i. e. *morianitur*, ab iis in æterna tabernacula recipiantur. Verum (1) si *Christus* h. l. loquitur de *Purgatorio*, sequitur etiam *Apostolos* & omnes fideles, quippe quos jubet *Salvator* sibi amicos facere, *Purgatorii* poenis adjudicari. (2) *Christus* in hac vitâ, non vero post mortem *Eleemosynas* dandas esse mandat. (3) si post mortem statim benefici recipi debent in æterna tabernacula, non prius descendere possunt in purgatorium. Commendat his verbis *Christus* beneficentiam erga pios pauperes adhuc viventes, & hunc in modum dicere vult: Videtis homines eò divitias convertere, ut sibi in mundo amicos faciant, qui tamen sunt instabiles, & tempore angustiarum nihil profunt. Sed dico vobis; si quis divitias possidet, pauperibus & egenis *eleemosynas* det,
his

his tales sibi parabit amicos, qui non tantum precibus suis in hac vita eundem juvent, sed etiam in altera, & quando mors benefactorem omnibus temporalibus bonis exuit, eum testimonio suo coram toto fidelium coetu cohonestent. Vide, si lubet *Harms. Evang. Chemnitio Lysero-Gerberdiana Tom. I. p. 1306.*

§. XVII. *Luc. XXXIII. 24.* Latro ad Christum inquit: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Exinde *Bellarmin. lib. I. de Purg. c. 8. loc. 7.* contendit, post hanc vitam remitti peccata, & auxilii animas indigere, & juvari posse in Purgatorio, quia Latro, si hoc non credidisset, nullo modo petiisset, ut Christus in suum regnum perveniens sui meminerit. Sed (1) Latronis anima statim in Paradisum fuit translata, (respondet enim Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso*) ergo non in Purgatorium, nisi fortasse per Paradisum purgatorium intelligant. (2) Latro non Venialium, sed mortalium peccatorum sibi conscius erat, ergo ex hypothese Pontificiorum non venire potuit in purgatorium. (3) Non habent Pontificii, cur tam strenue vocabulum *meminisse* urgeant, nam longe aliud est meminisse, & aliud peccata remittere, atque a Purgatorio liberare. Potest Christus eorum meminisse, qui non opus habent remissione Peccatorum, uti Angelorum. His verbis Latro poenitentiam suam indicare vult: *Domine miserere mei, & fac me participem Regni Tui caelestis.*

§. XIX. *Quem suscitavit Deus solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat, teneri eum ab illis,* Legitur *Act. II. 24.* Inde *Bellarmin. l. I. de Purg. c. 4. loc. 8. F. Soarius ad 3. Thome Tom. 2. a. IV. quest. 52. & Tom. 4. disput. 43. sect. 1.* colligunt, Christum solvisse dolores in Purgatorio sudantium, quia damnatorum nunquam solvi possunt. Verum enim vero (1) juxta textum Graecum (*τὸς ὡδὶνας τὸς ἰωνάτους*) habet, *solutis doloribus mortis.* Quin in vetustissimo Codice Bezae legitur *τὸς ἀδὸς* (*uortis*) ut explicatur hoc vocabulum, in *Exegematibus. D. Job. Tob. Majoris super. h. l. & Eclogus Sac. N. T. Dilberri dict. 3. p. 114. & seqq.* (2) Sermo hic est de Christo, sed ridiculum foret, Christum dolores Purgatorii subisse. (3) Textus non in plurali loquitur, *αὐτῶς* sed in singulari *αὐτὸν*, ergo non de animabus in Purgatorio intelligendus est. (4) Solutio dolorum hic non tribuitur Christo, sed

sed Deo Patri. Teste enim Lorino in h. l. sensus verborum 'Pe-
 tri est, Christum, quippe in quo omnis plenitudo divinitatis corpo-
 raliter Col. II. 9. quique Princeps vite, Act. III. doloribus mor-
 tis non potuisse detineri, nec juxta vaticinium Davidis Ps. XVI,
 vidisse corruptionem. Itaque post triduum solutis illis eum susci-
 tatum fuisse. Unum verò hic probè notandum, quod non vale-
 at consequentia: Deus excitavit Christum solutis doloribus mor-
 tis, ergò dolores durarunt usque ad resurrectionem, sicuti Flacius
 in clave fol. 453. argumentatur. Sed omnium dolorum Christi ter-
 minus fuit mors Philipp. II. 8. Matth. XXVI. 30. Job. 30. Augustini
 verba ad Evod. epist. 99. hic notanda sunt: Ideò solutos dicit mortis
 dolores in resurrectione, non quod hætenus illum tenuerint, sed ne
 tenerent. Scimus de animabus justorum, quod post mortem cor-
 poris immunes sint omnium tormentorum, Sap. III. 1. quidam etiam
 anima Christi; Fuit in manu Patris, Luc. XXIII. 46. in Paradiso
 Luc. XXIII. 42. 43. ubi nullum tormentum, Vid. prolixè h. l. Mor-
 najus lib. 3. de Sacrificio Missæ c. 8. p. 954. & seqq.

§. XIX. Provocant etiam Romanenses ad 1. Pet. III. 19. 20.
 Ubi Apostolus: In quo & iis, qui in carcere erant, Spiritibus profe-
 ctus predicavit. Olim immorigeris, quum semel expectabat Dei pa-
 tientia in diebus Noë, quum appareretur arca, in qua paucæ, id est octo,
 anime servatæ sunt in aqua. Ex his Turrianus lib. 4. pro Epist. Pontif.
 cap. 14. pag. 465. Fevardentius lib. 12. Theom. c. 9. num. 1. & 2. Ti-
 rinus in 1. Petr. pertinaciter concludunt, dari purgatorium, quia
 Christus prædicaverit Spiritibus, ubi non damnati intelligendi,
 quippe quibus nihil proffit prædicatio, & nulla speranda Redem-
 ptio, sed in purgatorio sudantes, quibus annunciari, eos nunc li-
 beratum iri. Verùm (1) Bellarminus & alii ex hoc textu lim-
 bum Patrum probare audent, ergò nihil ad purgatorium, quia
 limbus Patrum & purgatorium sunt diversa loca. (2) Lorinus in
 Comm. b. l. judicat improbabile, illas animas tamdiu (per 2928.
 annos à temporibus Noë usque ad Christi mortem) in Purga-
 torio fuisse, quia Bellarm. lib. 2. de Purg. c. 9. statuit, animas per
 centum, vel ducentos annos in purgatorio esse purgandas. (3) Pe-
 trus non dicit, quod Christus prædicavit illis, postquam fuerunt
 in carcere, sed potius, quod tunc illis prædicaverit, quando erant
 in

in carcere. Jam verò, quo tempore Petrus suam epistolam scri-
 bebat fuerunt in carcere damnatorum. Id quod patet, si græ-
 cum textum intuemur, ubi optimè legitur, qui in carcere sunt, est
 enim in græcis codicibus ellipsis, quæ suppleri potest hoc modo
 τοῖς ἑσὶν, ἐν φυλακῇ πνεύμασιν (in carcere existentibus Spi-
 ritibus.) Participium enim ἑσὶν, magis ad præsens tempus quam
 ad præteritum imperfectum referri potest. *Andrad. lib. 2. defens.*
fid. Trident. p. 121. (4) Ne γὰρ quidem hic mentio fit purgatorii,
 sed *carceris seu custodiae*, in qua erant illi, qui temporibus Noë ce-
 rant inpersuasibiles. (5) Petrus non loquitur *de liberatione*, seu
redemptione, seu *translatione* in vitam æternam, sed *illis prædicatum*
fuisse. (6) Non valet conlequentia, Christus in carcerem pro-
 fectus est, ergò redemit eos ex carcere, descendit enim in ἀπείθειον.
 (7) Si textus hic de purgatorio intelligendus est, sequeretur, eos
 tantum, qui temporibus Noë vixerunt, liberatos fuisse. Puta-
 mus Petrum hic loqui *de descensu Christi ad inferos*, ut etiam voluit
Athanasius, quando in *Epistola ad Epictetum* Corinthiorum Epi-
 scopum scribit: *Corpus Christi erat in monumento positum, quando*
ipse ivit ad prædicandum Spiritibus in carcere, ut Petrus dixit. Da-
masc. l. 3. O. F. cap. 29. Vult Christum descendisse ad inferos, ut
quemadmodum iis, qui in terrâ & umbra mortis sedebant lux infule-
 geret, & quemadmodum in terra evangelizavit pacem, captivis re-
 missionem, cæcis visum, & iis, qui crediderunt, factus est causa salutis
 æternæ, in credulis autem ἀπιστίας ἔλεγχος in credulitatis redar-
 gatio; sic & iis, qui in inferno. Et Cyrillus de *rectâ fide ad Theodo-*
sium: *Anima ad Verbum copulam & unionem sortita descendit quie-*
dem in infernum, divinâ autem virtute & potestate utens etiam Spi-
ritibus, qui illic erant, apparuit. Ergò Christus divinâ virtute, per
 quam corpus fuit vivificatum & glorificatum ad infernos descen-
 dit, & incredulis (ἀπειθείασιν, quæ vox græca propriè in Scri-
 pturis usurpatur de iis, qui veritati manifestatæ, & sufficienter de-
 claratæ fidem habere pertinaciter renuunt, *Col. III. 6. Job. III. 36.*
Act. XIV. 2. Tit. III. 3. Ebr. III. 18. 19.) temporibus Noë viventi-
 bus, qui nimirum Noachi adhortationes ad poenitentiam sperne-
 bant & in peccatis peribant, ad majorem ipsorum confusionem,

D

& ut

& ut incredulitatem eis exprobraret, tanquam gloriosus triumphator realiter prædicavit, ac divinam suam majestatem, & victoriam manifestavit. Quæ expositio mihi optime placet, nam (α) πορευθεῖς v. 22. accipitur de ascensu Christi in cælum; Ergò verisimile est v. 19. accipi de descensu Christi ad infernum (β) Quia in ascensione Christus suam gloriam & majestatem, Spiritibus justorum ostendit, ergò in descensu ad inferos suam gloriosam victoriam & majestatem Spiritibus damnatorum ostendit, illis quidem in glorificationem, & exultationem, his vero in ignominiam. Verum quilibet suo sensu abundat, & non animus est, aliorum explicationem rejicere, sed potius varias legere, in Gerhardi Comment. super Epistolas Petrinæ, p. 477. & seqq. sive in Hutteri F. C. Art. 19. de descensu Christi ad inferos p. 984. & seqq. & suam de iis sententiam ferre jubeo. Ut tamen ad meam redeam, certum est, vocabulum Φυλακῆς Apoc. XX. 7. (solvetur Satanas ἐν τῆς Φυλακῆς) diserte usurpari de inferno, & carcer etiam à Christo Matth. V. 25. cap. XVIII. 30. Luc. XII. 58. tanquam typus inferni proponitur, inde & Syrus explicuit in inferno. Hac nostra tamen opinione non animus est statuere cum Pererio & Lorino, omnes extra arcam fuisse damnatos, sed Christum iis, qui fuerunt damnati, prædicasse. Et quidem Petrus hanc ob causam imprimis hominum in diluvio suffocatorum mentionem facit, quia (1) exemplum maxime accommodatum fuit, ad Propositum Petri, quippe in quo Dei longanimitas, Noë constantia & patientia ac impiorum secuta everfio magis elucet. (2) Quia Apostolus respicit ad maximum mundi peccatum, cujus mensura nunquam copiosius quam diluvii tempore fuit completa. (3) quia viam sibi facere volebat ad sequentem digressionem de Sacramento Baptismi, cujus typus fuit Archa Noachi & aqua diluvii. Nec obstat sententiæ nostræ, quod verbum prædicandi plerumque in bonam partem accipiatur, atq; quod cap. IV. 6. ponatur verbum Evangelizandi. Si quidem adhuc sub Judice lis est, an locus ille huic sit parallelus, idemque h. l. intelligatur verbo prædicandi, quod cap. seq. verbo Evangelizandi. Et pollicem premo Augu-
stino

stino & Luthero, qui Apostolum ibi de spiritualiter mortuis loqui autumant, quod nimirum Christus est iis Evangelium annunciari curaverit, ut salvarentur & viverent Deo spiritualiter in omnem aeternitatem. Sed satis de his, & iterum iterumque repeto, me hac sententiâ nulli bellum indicaturum, sed quia semper errore Papistarum de Purgatorio refutato, genuinum & orthodoxum textum sensum adjeci, & hic tanquam ex loco obscurissimo B. Luth. in cap. 7. Genes. & Tom. 2. Jen. fol. 341. nec non Aria Montano fatentibus, quendam elicere constitui. Non tamen exinde gloriari possunt Romanenses, quod quia diversæ h. l. inter nostrates Theologos habentur opiniones, purgatorium exinde certò sufflari queat, siquidem id supra satis fuit refutatum, adeoque demonstratum, nullo modo purgatorium tam ex hoc, quam aliis Scripturæ locis extrui posse. Adhuc quidem alia, præter apposita, in promptu habent Scripturæ loca Esawitæ, quæ vero nil, nisi tonitrua ex pelvi, & à quovis in Sacris versato facillimè refutanda sunt, idcirco & ea lubens omitto.

THESIS V.

§. I. Scripturæ S. patrocinio amisso, ad Patres provocant Lojolitæ de quibus statuunt, quod semper purgatorium credidissent, inde etiam ab eorum vario & confuso strepitu Conc Trident. Sess. 9. probationes petere mandat. Sed respondemus Patres esse ad Regulas Scripturæ S. examinandas, sicut ipsimet volunt, Augustin. ad Paulin. epist. 112. Porro Tom. 2. epist. 48. ad Vincent, col. 183. Similiter Lactant. Lib. V. instit. c. 20. scribit, in negotio religionis non valere quicquam mortalis hominis auctoritatem, sed divinis testimoniis confirmanda esse dogmata. Et optimè nobis hic inservit, Hieron. Tom. 3. epist. 152. ad Miner, & Alex. colum. 370. edit. Paris. anno 1578. dicens: Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere, quæ bona sunt, & à fide Ecclesie Catholica non recedere. Et super cap. 23. Matth: Quod sine Scripturarum auctoritate dicitur pari facilitate rejicitur, quæ asseritur.

§. II. Palam etiam est, obrepisse adhuc aliquos ex
Platonicâ Scolâ novos errore plenos, in quâ fingeant, omnia
sub finem mundi igne quodam purganda esse. *Moral. Boisac.*
pag. 884. Et certum est, etiam Patres crassos suos habuisse er-
rores, si ἀμφὶ πάντων ἀνθρώπων ὄρεσιν ἀμπλακίαι ἀναριθμη-
τοὶ κέστανται, juxta Pindarum. Id quod bilem sane movet
Pontificiis, qui sine omni errore Patres vixisse delirant, ut vide-
re licet ex J. E. *Information Schreiben wegen des Segeners*
an E. B. *Erfurtii typis expressum Anno 1672. p. 39.*
& seq.

§. III. Ast verò si patres non errare potuerunt, cur ipsi
Pontificiis nonnullorum opiniones rejiciunt. Statuit enim *La-*
Etantius, omnes pios, etiam Apostolos, necesse habere per ig-
nem purgatorium post judicium transire. It. *Ambrosius* dicit,
per purgatorium omnes purgandos etiam S. Prophetas, sic &
in purgatorio aliquos remanuros, quæ omnia Bellarminus &
commilitones ejus negant. Si igitur in uno errare potuerunt
Patres, quidni in altero? Vid. *Luth. Tom. Jew. Germ. p. 166. b.*
& 168.

§. 4. Caterum quamvis ex aliquorum Patrum scriptis elu-
ceat, eos Purgatorium credidisse, ex iis tamen quoque colligi po-
test, eos dubios hac in re fuisse, sicuti admodum dubitanter & ju-
dicio inspenso eâ de re differit *Augustinus lib. XXI. de C. D. C. 26.*
hæc verba subjungens: *Forsetan est verum.* Sic & in *Enchirid. ad*
Laurent. cap. 69. dicit, *posse fieri post hanc vitam ignem purgato-*
rium. Porro ad *Dulcit.* ubi de Purgatorio scribens, adjecit: *Hæc*
descripsimus, ut tamen in eis nulla veluti Canonica constituantur au-
thoritas.

§. V. Probabo etiam, quod plerumque Patres duos tantum
locos unum cœlum, alterum infernum crediderint. Sic enim
Augustinus de peccatorum meritis & remissione cap. 28. inquit: *Non*
est ullus ulli locus medius, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est
cum Christo. *Greg. in cap. 7. Job. l. 8. c. 10.* *Quem semel, inquit, cul-*
pa ad pœnam pertrahit, locus q. pœnalibus tradidit. misericordia ulter-
ius

rius ad veniam non reducit. Justin. Martyr. lib. quest. & Resp. ad
Orthod. q. 75. Post exitum animarum è corpore illico iusti ab iniustis
segregantur. Abducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca, ac
iustorum quidem animæ in Paradisum, Injustorum autem animæ in
ipsius orci loca, pro eo atq; dictum est de Nabuchodonosore Rege Ba-
bylonis. Bernhart. in sentent. moral. Tria sunt loca, inquit, Cælum,
Terra, infernus, & habent singula habitatores suos; Cælum solos bo-
nos, terra mixtos, infernus solos malos.

§. 6. Denique quantum distant opiniones Patrum ab Esavitarum
de poenæ genere, magnitudine, diuturnitate, loco, personis
& remediis? Adeo ut videatur tunc aliud, quam nunc purgato-
rium fuisse, siquidem nullo modo descriptio hodierni purgatorii
antiquo, sive Patrum, adscribi potest. Quapropter nequaquam
hac vice Patrum patrocinio gaudere possunt Esavitæ.

THESIS VI.

§. I. Purgatorium neque ex Scriptura S. non ex Patribus
probari posse, in antecedentibus satis opinor, monstratum est. Ideo
circo firmo stat talo, purgatorium nihil aliud esse, quam non est,
id quod patet ex perpetuo scripturae silentio, quæ non nisi duorum
locorum meminit, unum æternæ beatitudinis, alterum æternæ da-
mnationis. Nam sunt verba Christi, Marc. XVI. 16. Qui crediderit
& baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.
Job. III, 18. Qui credit in filium habet vitam æternam; qui
vero non credit filio, non videbit vitam.

§. II. Sic immediata semper in scripturis legitur divisio in-
ter vitam & mortem, vel benedictionem & maledictionem Deut. XXX.
1. inter perire & habere vitam æternam. Job. III, 16. inter manum
Dei & tormentum. Sap. III, 1. inter vitam æternam & iudicium. Job.
V, 24. inter habere hereditatem Regni Dei & non habere Gal. V. 21.

§. 3. In Scripturis animæ fidelium & credentium quam-
primum corpora exuunt, locantur in cælum & nullibi in purgato-
rium Psal. XXXI, 6. Sancti in extremis versantes animam suam
commiserunt Domino. Uti Stephanus Act. VII, 59. Domine Jesu,
suscipe Spiritum meum. Christus Latroni in cruce statim post mor-
tem promisit Paradisum inquit; hodie mecum eris in Paradiso

Luc.

Luc. XXXIII, 45. Paulus Philip. I, 23. Cupio dissolvi, inquit, & esse cum Christo. Proinde clarissime animabus à corpore exeuntibus duo tantum loca locus consolationis & locus tormentorum assignantur. Luc. XVI. Et quidem statim post mortem ibi Chasma ita confirmatur, ut ex loco tormentorum ad locum consolationis nemo transire queat, & non amplius pateat aditus ad poenitentiam & reconciliationem cum Deo.

§. 4. Si etiam datur purgatorium, atque ex eo propriis operibus liberari possumus, sequitur utique Christum pro peccatis nostris non satisfacisse, contra expressum verbum Dei, ubi *gratis Christi justificati & redempti dicimur. Rom. III, 4. Eph. I, 7. I. Thess. I, 10. I. Tim. II, 6 &c.* Ergo non nostris operibus, quæ hoc modo, si nimirum meritum his affingitur *sunt pernitiosa Phil. III, 7.*

§. V. Sæpe etiam Pontificiorum religioni addicti conscientia compulsi, in agone mortis unice ad meritum Christi cucurrerunt, atque agnoverunt, Christum adeo satisfacisse pro peccatis, ut non opus sit purgatorio, è quo propriis operibus & satisfactionibus liberari queamus. Id fecit *Carolus V. teste Thuano lib. 22. f. 403.* qui omnem spem & fiduciam in meritum Christi collocavit, & *propriis meritis fidere esse non fidei, sed perfidia,* moribus dusratiocinatus est. Sic *Maximilianus II.* in ultimis vitæ metis Episcopo Neustadensi mandavit, ut nihili mentionem faceret, nisi *meriti Christi, ejusque sanguinis effusi omnia peccata abluentis Buchholzerus in Chron. p. 648.* Videant ergo Pontificii, quàm impudenter Purgatorium contra expressum verbum Dei & propriam conscientiam fingunt.

THES. VII.

§. I. Coronidis loco adhuc scrutemur, cur & quem in finem purgatorium exstruant, Esay vitæ? Qui non adeo infirmi judicii sunt, ut ridiculum hoc dogma credant. Id quod satis constat ex annalibus, nimirum ipsos Pontificios haut raro concessisse, purgatorium certò nullum est. Sic *Waldenses* illud dixerunt *figmentum humanum.* Legatur *Hist. Ecc. Magd. cent. 12. c. 8. p. 1207.* Et *Jobannes Roffensis* Episcopus Luthero concessit, quod purgatorium veteribus fuerit incognitum, & serò in Ecclesiâ creditum *Artic. 18. adversus Luth.* Et totam Græcam Ecclesiam, *Alphonsm*

phonsus à Castro lib. 12. adversus Har. V. Purg. her. r. Bellarm. lib. 10
de Purg. c. 2. Sc. testantur, usque in hunc diem purgatorium per
negare. Sed eò Purgatorium Pontificiorum tendit, ut pecunias
corrudent, quibus elegantissima & ad coelum tendentia palatia
passim excitare, abdomen elatum cibis delicatulis saturare, & in
omni luxus laudatizque genere vitam degere valeant.

§ II. Sanè nihil minus quam hominum salutem sub hoc
dogmate quarunt. Quæ enim causa erat, quod indulgentiarum
venditores, regiones nostras pervagarentur, certè non animas in
purgatorio juvare, sed auri fames, quod nullus Pontificiorum,
nisi impudentissimus, negare potest. Nam Alexander VI. num-
mos desiderans emittebat. Reimundum Cardinalem S. Mariae novæ
Episcopum Crucensem. Et nisi Leo X. pro sorore sua Magdalena
arripisset, nunquam Tezelium hominem flagitiosissimum atque
iniquissimum indulgentiarum epistolis ablegasset. Nec in aëre
piscati sunt, siquidem ineffabilem pecuniæ summam ex Germa-
niâ, Daniâ, Sueciâ, & Prussiâ collegerunt. Inde etiam B. Lucbe-
rus Tom. Jen. Ger. V. p. 168. b. scribit: Es ist die Meynung von
Seg. Feuer also eingerissen! daß schier kein Geld auff Erden ist blie-
ben! es hatt ins Seg. Feuer gemust. Satis ergò clara est nequitiæ
detestabilis, quæ sub purgatorii dogmate latet.

§ 3. Deus dissolvat opera Diaboli, & faxit, ut diu verbum
ejus inter nos floreat, quod ~~via~~ viam ad vitam ostendit, adeoque
sanguinem Jesu Christi nosmet ab omni peccato pur-
gasse inculcat.

F I N I S.

JOHANNES
p. Acad. Rector

CLARISSIMO ET PEREXIMIO
DN. M. JOHANNI DAVIDI
THÖNNIKERO,

Affini, Amico & Convictori suo Honorando.

CLARISSIME DOMINE MAGISTER, *bene testari, bene precari, bene ominari Christianorum est, maxime Theologorum.* De recte factis *bene testari, Christianæ charitatis officium, bene precari laudatissimis Studioforum-Theologiae progressibus, Christianæ pietatis debitum, bene ominari de studiorum progressibus atque fructibus, Christianæ fiducia studium est.* Hactenus in convictu meo *Studiorum telam, in Florentissima Lipsiensium Academia cæptam, per texere conatus es, nec id sine laude fecisti.* Non Ego *testis* ero, sed mei vice publica facta *testimonium* dabunt, privatas enim scholas, in quibus Studiorum tuorum Elaborationem continuis exercitiis apud me quærivisti, nunc allegare nolo. Prodeant *Cathedra Publica Respondentium, Exedra prodeant Opponentium*; hæc certe frequentius industriam tuam receperunt, & Eruditionis Theologicæ copiam Tuis *Commisionibus* ad laudabilem æmulationem objecerunt: *ille* Tibi locum facilem Anno superiori concesserunt, & de *Vita æterna* non sine laude differentem tenuerunt, atque modo de *Fictio* quodam Opposito, *Papistarum Purgatorio*, Tuas *Lucubrationes Eruditas* Solenniter publicare decreverunt, & Tuis laboribus *Testimonium sedulitatis* dare constituerunt. *Scholis & Cathedris* publicis attestantibus, & Ego *bene testari* potero, Sed *bene precari* quoque meum erit. Faxit Deus ut Tua *conamina* vigeant, *studia* Tua floreat, & hæc de *Mysteriis Sacris Exercitia* copiosum fructum faciant. Sic etiam *bene ominari* potero, Te futuris laboribus *Regni Christi* curam habiturum in *Nominis Divini* honorem, *Parentum Gaudium & fidelium animarum solatium* res omnes bene gesturum, quod votis ardentissimis Tibi, Tuisque *Studiis sacris, & Omnibus Tuis cælitus* apprecor! Dab. *Witteb. d. XIX. Jan. Anuo 1677.*

JOHAANNES Deutschman/ D.
p. t. Acad. Rector.

05 A 644

ULB Halle 3
004 208 072




1077

644







E THEOLOGICA, X
 sub
 SIDIO
 MAGNIFICI
 RI
li, Amplissimi, atq₃
ntissimi
 IS **Deutschmann**
ofess. Publ. longè celeberr.
Ephori gravissimi, &c.
, Studiorumq₃ meorum
de venerandi
 TORIUM
 CTUM
 bebo
 THEOLOGORUM
 AN. M DC LXXVII.
 VID THOENNIKER,
 s Saxo.
 OR.
 ERGÆ,
 ART Typ. Excudebat:
 BERHIRT.